



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro Quinto Decretalium. In Quo De Judicio, Seu Ordine Judiciario criminali, nec non de criminibus Ecclesiasticis, & secularibus ... agitur ...

Pirhing, Ehrenreich

Dilingae, 1677

Titulus. XI. De Infantibus, & languidis expositis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98302](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98302)

non sit separandus, etiam quoad torum, & cohabitationem, ab uxore, propter homicidium commissum in communem filium, vel filiam, quia Christus, *Matth. 19.* ait, uxorem à marito non esse separandam, excepta causâ fornicationis, *Abb. hic n. 2.* exceptio autem firmat regulam in casibus non exceptis, *c. Dixit. 2. caus. 32. q. 1.* non obstante juramento mariti, quod se ab uxore separare velit, quia illud illicitum fuit, *c. Tua. 24. de iurejurand. Gl. hic V. Iuramento.*

Colligitur secundò, Quamvis mulier occidens filium non sit separanda à viro suo, tamen curandum est, ut sui sceleris poenam luat, sive ut poenitentia ei imponatur in foro animæ, de quo hic est sermò: nam in foro contentioso tradenda est Curia seculari puniendi, secundum leges civiles propter commissum patricidium, *Abb. hic,* & dictum suprâ.

VIII. Denique in *c. De infantibus. 3. Et ult. h. t.* rescribit idem Papa Lucius III. de infantibus, qui

mortui reperiuntur, cum patre, & matre jacentes in lecto, nec apparet, utrum à patre, vel matre oppressi sint, vel suffocati, vel propriâ morte naturali defuncti, quod non debent parentes esse omnino securi, nec sine poena aliqua: in qua re tamen considerari debet, utrum non voluntas, sed eventus mortis causa fuerit. Si verò eos non latet, se interfectores esse, scire debent, se graviter deliquisse; quidam autem censent, poenitentiam trium annorum ipsis imponendam esse, quorum unus sit in pane, & aqua. Similiter in *c. Consulisti. 20. caus. 2. q. 5.* dicitur, monendi sunt, & protestandi parentes, ne tenellos infantes secum in lecto collocent, ne quâlibet negligentia proveniente suffocentur, vel opprimantur, unde ipsi homicidij rei inveniuntur. Porro si cubatio hujusmodi parentum cum infante in lecto culpâ careat, poena quoque triennalis cessabit, quamvis illa jam in defuetudinem abiit, & poenitentia injungenda arbitrio discreti Sacerdotis relinquatur, *Abb. hic in fine.*

T I T V L V S XI.

DE INFANTIBUS, ET LANGUIDIS EXPOSITIS.

Quia parentes, qui infantes, ac liberos suos exponunt, & alimenta eis denegant, illos veluti occidunt, ideo de his hoc tit. agendum.

§. Vnicus.

Qua sit poena parentum, qui filios exponunt ab aliis nutriendos, vel languidos, sive infirmos ab aliis curandos?

I. **E** his agitur in *c. Si à patre unic. h. t.* ubi Gregorius IX. ita rescribit: Si à patre, vel ab alio, ipso sciente, & ratum habente, contra pietatis officium infans filius expositus fuerit, is hoc ipso à patria potestate est liberatus: nam & in hoc casu libertus fit ingenuus, & servus expositus in libertatem vindicatur. Idemque dicendum de languidis, sive infirmis, cujuscunque ætatis sint, si expositi fuerint, vel alimenta ipsis impie denegentur. Veruntamen qui hos suscipiant, non possunt propterea in eorum personas jus aliquod sibi vindicare.

II. Pro intellectu hujus *c.* notandum primò, Nomine infantis hic intelligitur, qui est infra septennium, sive septimum ætatis annum nondum excessit, *c. Literas. 4. de despons. impub.* si ergo talis expositus sit, tum vel ab ipso patre, vel ab alio, ipso sciente, & non contradicente, vel postea ratum habente (quia rati habitio in maleficijs retrahitur, & mandato æquiparatur, *Gl. hic V. Ratum habente*) filius expositus sui juris efficitur, & liberatur à patria potestate. Si verò patre ignorante, vel invito, sit expositus, nihil per hoc prejudicatur juri, vel potestati pa-

Tomus V.

ternæ, *Gl. hic V. Liberatur.* Idemque est de servo, vel liberto exposito à Domino, vel Patrono.

Notandum secundò, Parentes graviter peccant, exponendo filios, si eos commodè alere possint, unde eos necare censentur, ut dicitur in *l. Necare. 4. ff. de agnoscend. Et alend. liber. Et c. ult. dist. 87.* Quod si præinopia eos alere non possint, curare saltem debent, ut in hospitali aliqua domo educantur, vel, quo poterint, eos modo adjuvent, sicut de servo decernitur in *l. 10. §. Sed scimus. C. de latina libert. tollenda. Azor. p. 2. l. 2. c. 26. q. 2.* Si verò infans à patre expositus ab alio alatur, & educetur, tunc vel alimenta data sunt ab eo, qui ea dare debebat, v. g. ab Ecclesia, vel Episcopo, & ea repeti non possunt, quia pietatis causa data sunt, ut colligitur ex *c. Sacrorum. 15. caus. 12. q. 2.* vel si infans nutritus fuit in aliquo loco publico, misericordiæ, & pietatis causa, extracto; tunc enim etiam repeti non possunt expensæ, nisi locus ille sit fundatus ad alendos eos solum, qui egent; nam tunc parentes si non egeant, compensare debent expensas factas in eo ad alendum filium: Vel data sunt alimenta infanti exposito, ab aliquo consanguinitate ipsi conjuncto, & verisimiliter præsumitur pietatis causa ab illo data fuisse, ac proinde illa repetere non potest, nisi ab initio fuerit protestatus, se illa repetiturum. Vel denique alius extraneus subministravit alimenta infanti exposito, & tunc potest ea repetere, si ab initio protestatus sit, se velle ea sibi restitui: aliàs verò ex conjecturis id desumi debet; nam si sit dives, liberalis, ac pius, jure præsumitur, eum non velle alimenta data repetere, nisi in casu, *l. Parem. 16. C. de nupt. si is, qui filiam à patre expositam nutrit, velit illam matrimonio*

X 2

jungi

jungi filio suo, sed pater ipsius nolit; tunc enim alimenta præstita solvere debet, *Abb. hic n. 3. Aror cit. c. 26. q. 1.* Porro is, qui expositum aluit, nullum jus in ipsum acquirit, ut dicitur in *cit. c. unic.*

III. Notandum 3. Prædicta Constitutio, quatenus decernit, si pater alimenta filijs denegat, cum amittere patriam potestatem, non debet universim intelligi de filijs etiam valentibus, & sanis, sed solum de languentibus, seu infirmis, cujuscunque ætatis sint, quia gravius delictum est denegare alimenta filijs languentibus, ac infirmis, quam sanis, & ideo graviori poenâ plectendi sunt, & poenas benigniùs, & mitiùs interpretari oportet, *Abb. hic n. 2. Aror cit. l. q. 1.* Per languidos autem hîc intelliguntur, qui

perpetuo morbo, eoque incurabili, laborant, quem cuique rei gerendæ inhabiles reddunt. *Morbus. 113. ff. de V. S.*

Norandum quartò. Constitutio hujusmodi locum solum in filijs legitimis, quia pater illi eos non habet in sua potestate, §. *ut. Instit. potest. Abb. hic not. 3.* Porro infantibus, quorum parentes ignorantur, alimenta præstent ab Ecclesia, vel ejus Rectore; quod si sufficientes redditus non habeat, neque etiam talia publica extent in loco: tunc certarum Communitates locorum curam eorum habent, alimenta præbere suis impensis, *Barb. in Co. num. 4. C. 5.*

T I T V L V S XII.

DE HOMICIDIO VOLUNTARIO VEL CASUALI.

Postquam in præcedentibus duobus Titulis actum est de homicidio in genere, nunc agitur de eodem in genere: nam quamvis aliàs usitatus, & frequentius secundum ordinem doctrinæ, prius agatur de genere, & postea de speciebus: tamen hoc loco prius quædam species homicidij præmittuntur, propter criminis atrocitatem. Et quia homicidium quoddam est voluntarium, aliud casuale, ideo de utroque hîc agitur. Extat hic Titulus Sexto, & Clementinis.

SECTIO I.

DE HOMICIDIO IN GENERE, & in specie de homicidio voluntario injusto.

§. I.

*Quid sit homicidium in communi,
& quomodo dividatur?*

I.

ASSERTIO I. Homicidium sic dictum, quasi cædes hominis, est occisio hominis ab homine facta, c. *Si homicidium. 41. caus. 23. q. 5. Hostiens. hic in Summa. n. 1.* vel clarius, est quælibet exanimatio hominis, seu humani corporis violenter ab homine facta, quâ anima à corpore separatur, *Wesembec. in paratit. ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* dicitur ab homine facta: nam si homo occidatur à fera, vel bruto, non est propriè homicidium, sed pauperies dicitur, *toto tit. Instit. C. ff. Si quadrupes pauperiem C. per hominem verò hîc intelligitur, cujuscunque ætatis, sexûs, vel conditionis fuerit, l. 1. §. Et qui hominem. ff. dicto tit. C. l. pen. C. eod. quin imò, & fœtus in utero matris existens, nomine hominis hîc venit, modò fuerit animatus, de quo infra.*

II. ASSERTIO 2. Omisâ divisione homi-

cidij in corporale, & spirituale, quod non est improprie homicidium dicitur, ut est de cæde proximi, illi malum persuadere, vel comprouseque, vel quovis modo ei nocere, c. *Et si homicidium. 24. c. Noli 27. C. c. seq. dist. 1. de pœnit. Et hic in Summa n. 2. Farinac. in praxi criminali. l. 4. de homicid. q. 119. n. 5.* Corporale homicidium, de quo hîc solum agitur, aliud est voluntarium, aliud involuntarium, seu casuale, ut patet ex Rubrica hujus Tituli. Voluntarium vel illicitum, sive per se interdictum, sive per se interdictum, fit deliberato animo occidendi hominem: vel saltem indirectè voluntarium in causa adeo periculosa, ut moraliter certò sit homicidium, licet in se non intendatur formaliter, & expressè, si quis poculum venenatum alicui præbere, vel morali periculo mortis secuturum, licet sine expresso proposito, seu voluntate occidendi. Homicidium involuntarium, sed licitum, ac justum est, vel defensivum, ac defensivum, cum quis se, vel res suas defendendi causâ, interficere cogitur: vel est promissum, quod publicâ auctoritate Magistratus sit ad præstandum delicta. Homicidium verò casuale, aliud est, quod casu, præter intentionem committentis, causam dantis, contingit, nam casus est casus, præter intentionem, secundum Aristotelem, c. *Covarr. in Clem. Si furiosus un. Rator. de homicid. l. 1. princ. Idq; est, vel nullo modo voluntarium, vel indirectè, sed merè casuale, sive quod casu inter-*